



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 43. Guadicensis Episcopi sententia circa institutionem Episcoporum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

in scio Hispaniæ Rege omnia hæc non-
 nisi Arragonii Cardinalis, qui Piscarii
 Marchionis frater erat, molimina essent,
 cum aliunde pro comperto haberetur,
 quod semper eo majores exorirentur
 difficultates, quo magis quæstionum
 discussio urgeretur: hinc Franciæ Ora-
 tores sollicitabant Synodi Patres, ut ab
 ejusmodi tricis sese expedire studerent,
 ac præcipue omnes quæstiones super-
 fluas unice reformationis negotio in-
 tenti declinarent, ut demum, quid ex
 hac Synodo sperandum esset, innotesce-
 ret: itaque rursus solitæ habebantur
 Congregationes.

§. XLIII.

*Guadicensis Episcopi sententia circa
 institutionem Episcoporum.*

Die prima Decembris cogebatur Pa-
 trum Conventus, in quo Melchior
 Avosmedianus Guadicensis Præsul sen-
 tentiam suam exponebat de Canonis
 proponti verbis, ubi habebatur, Episco-
 pos a Romano Pontifice vocari in par-
 tem sollicitudinis, & ab eo assumptos
 esse veros Episcopos: porro hic Præsul
 objiciebat, magis amplam, minusque li-
 mitatam dictionem adhibendam esse,
 eoquod is, qui secundum Apostolorum,
 Nicenæque Synodi Canones eligeretur,
 verus Episcopus evaderet, tamethi nec
 a Ro-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

Pallav. l. 19.
 c. 5. n. 5.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

a Romano Pontifice assumptus, nec confirmatus fuerit, cum iidem Canones dicant, illum esse initiandum, consecrandumque a Metropolitanano, nulla facta Romani Pontificis mentione; quinimo nec ea consuetudo in Ecclesia universalis esse videtur, ut Summus Pontifex eligat, quippe Chrysostomum, Nicolaum, Ambrosium, Augustinum, & alios fuisse quidem Episcopos, a Romano tamen Pontifice electos non constat, quin etiam ab Archiepiscopo Salisburgensi quatuor Suffraganei sui Episcopi Passaviensis, Brixienfis, Frisingensis, & Tridentinus tanquam a suo Metropolitanano creantur, ac confirmantur, nihil in eo negotio auctoritatis exercente Romano Pontifice: Attamen Simonetta Cardinalis veritus, ne ejusmodi opinio altiores fortassis radices ageret, loquentem modeste interpellans monuit, id a Salisburgensi Archiepiscopo, aliisque nonnullis Primatibus fieri ex auctoritate, ac Privilegio Pontificio.

Psal. p. 339.
Sarp. l. 7.
p. 617.

§. XLIV.

Synodi Patrum indignatio contra hunc Episcopum.

Cum hic Guadicensis Episcopus rogaret, ut ad suam sententiam plene exponendam suum sermonem prosequi permit-